

06

A

970







2  
200  
Cursus Philosophici

DISPUTATIO II.

*De,*

CONSTITUTIONE LOGICES

PROPOSITA

In Alma VVitebergensi Academia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

*Respondente*

ELIA HOFERO Adorphiâ-Varisco.

*Ad diem 6. Decembris.*



VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.



Reverenda dignitate, aucto-  
ritatis eminentia, solidæ eruditionis

& orthodoxæ Religionis laude Cla-  
rissimo viro

**Dn. M. Nicolao Zurnero, Ecclesiæ Olfni-  
censis Antistiti, & vicinarum inspectori ut meritissimo ita  
vigilantissimo, Fautori ac Promotori æviternum hono-  
rando meo.**

NEC NON

*Reverendo & eximiâ eruditione ac pietate spectabili Viro,*

**Dn. V Vilhelmo Burgero, Diacono Ec-  
clesiæ Adorphiensis dignissimo.**

*VIRIS itidem*

*Doctissimis, amplissimis, omni virtutum genere,  
longoq; plurimarum rerum usu & experientia præstantissimis*

**Dn. Eliæ Hendelio, Reipublicæ, quæ Adorphiæ  
Variscorum est, Prætori laudatissimo, Αναδόχῳ meo  
plurimum colendo.**

**Domino Fabiano Hendelio Reipublicæ eiusdem  
γραμματεῖ spectatissimo,**

**Dn. M. Georgio Hendelio Scholæ Adorphen-  
si-um Rectori dignissimo, Affini meo charissimo.**

**Domino Vito Hendelio, civi eiusdem Reipub.  
primario.**

FRATRIBUS HAC SERIE NATIS.

*Dominis Patronis ac Favitoribus meis perpetuo observantiæ  
studio colendis*

Hanc Logicam Exercitationem

*ἰn studiorum Σεράπειμα, Debitæ observantiæ Πίδερυμα*  
submitte dedico & inscribo

Elias Höfer Resp.



# Curſus Philoſophici

## DISPUTATIO II.

De

# LOGICES CON- STITUTIONE.

*Continuatio.*

**H**X præcedenti diſputatione mani-  
feſtum eſt, diſciplinas ad Philoſo-  
phiam cumprimis pertinentes *da-  
plices eſſe, Instrumentarias & prin-  
cipales; illasq; harum inſervire co-  
gnitioni.* De quo cum jam conſtet, quis in tracta-  
tione illis priorem non tribuet locum? *Cum no-  
tius & ad aliorũ cognitionem faciens ſemper præ-  
cedat; illa ſubſequantur.* Ignotum enim non niſi  
noto fit notum: veluti potentia in actum non ni-  
ſi actu ducitur & tanquam animatur. *Tres autem  
numero ſunt diſciplinae instrumentariae, ſed non  
equè latè, non equè priores: ut enim latiffima o-  
mnium Logica: quippe quæ cæteris inſervit; cæ-  
teræ non huic niſi ex accidente: ſic omnibus  
prior.* Nam ſola hæc *τερόπιον ἁπλῆς καὶ παιδείας,  
ὄργανον ὀργάνων, καὶ χεὶρ φιλοſοφίας* dici meretur.

A 3

Cuius



Cujus qui commendationem desiderat, præter alios videat August. lib. 2. c. 12. de ordine, & lib. eod. c. 17. item lib. 2. de doct. Christiana cap. 31. Hieronym. in Ezechiel. Boëth. in pr. lib. de Syllog. Categ. Platon. in Phædro, & lib. 7. de Republ. itemq; in Gorgia, Cratylo & Philebo, Cicer. in Bruto, & Tuscul. 5. & 3. de finib. Agell. lib. 16. cap. 8.

## Thema I.

Ne autem χερσὶν ἀνίπτοις agamus, Logicæ naturam explicaturi, definitionem potissimum & divisionem, quæ totam rei essentiam explicant, (1. Top. 4. 2. de animo 2: 2. post. Analy. 3. 5. 14. & lib. 4. Meteor. 12. 1. prior. analyt. c. 32. Cic. 1. offic.) accersemus.

II. Finimus ergo Logicam, quod sit habitus mentis organicus veri falsiq; index.

III. Ubi definitum est Logica: quæ ἀπὸ τῆς λόγου à ratione, non à sermone dicta & ducta est: quod ipsam rationis usum perficiat, & ἐν τῷ λογίζεσθαι in ratiocinando sit occupata.

IV. Distinguitur ergo rectè inter λόγον ἐνδιάθετον & προφορικόν: Ille Ratio dicitur & Mens: hic oratio.

V. Quare licet λογικῆ, nempe à λόγῳ (ut diximus) derivata, interdum sermonandi, interdum ratiocinandi artificium sua significatione complectatur: ut nihilominus ad λόγον προφορικόν propriè pertinent Grammatica & Rhetorica: sic ad λόγον ἐνδιάθετον ars ea, cujus nos nunc præcepta, Deo dante, tradere instituitis.

VI. Et quid vetat, quo minus quis intus, secum, ad se, pro se faciat Syllogismum, definiat, dividatq; etiamsi nullum verbum mutiat? ἔγδ πρὸς τὸν ἔξω λόγον ἢ ἀπόδειξις, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἐν τῇ ψυχῇ, ἐπεὶ ἔδὲ συλλογισμός.

7. Et



VII. Neq; verò omnem hic excludimus orationem: sed duntaxat eam *essentialem* esse Logicæ aut *primariam* negamus? *accidentalem* & *secundariam* concedimus: cum rationi ita sermo, ut huic scriptio accidat: ut autem à *scriptione* Logicam nemo dixerit *scriptoriam*; sic nemo eandem à *sermone* *sermocinatricem* nuncupabit.

VIII. Logica porrò *alia artificialis est, alia artificij expers naturalis*. Hæc illam genuit: illa huic superstructa.

IX. Quis enim hominum tam *immanis atq; incultus*, qui non aliquam rationis facultatem possideat naturalem sibi atq; congenitam, à quâ ipse *ζῶον λογικόν* & dicatur & definiatur.

X. Hæc igitur *naturalis vis λογικὴ* prior omninò est *artificiali*: imò fuit aliquando tempus, cum nulla adhuc illius præcepta extarent. Cùm verò viri quidam sapientes *haud sine Numine* observarent, veri quasdam in naturâ leges dari, diligenti observatione eas collegere, distingere, longoq; usu polivere, ut ita pedetentim ex parvis & difficilissimis initijs *ars* incrementum cœperit, donec tandem perfecta & sapientum curâ absoluta fuerit.

XI. Inter hos autem familiam duxit, omniumq; princeps omnium consensu fuit *Aristoteles*, qui quæ à superioribus notata fuerunt, sparsimq; disiecta, collegit & adjunctis quàm plurimis inventis suis locupletavit.

XII. Distinguitur etiam inter Logicam, *quæ est in mente docentis, & quæ in libro descripta est*. Illa propriè Logica est, quia habitus, hæc tantum æquivocè sic denominata: quia ejus efigies & imago est: nec non præcepta continet, secundum quæ habitus Logicus in mente producitur.

XIII. Sic aliàs dicitur *Logica docens, alias utens*. Illa ex Græcorum sententia à rebus avulsa est: hæc illis implicata & connexa,

XIV. *Logica* igitur *docens* illa est, quæ præceptis & regulis suis proprijs ac distinctis circumscripta est. *Utentis* forma illa exterior scientiarum & disciplinarum est, quâ dispositæ, confirmatæ & illustratæ sunt. De quâ rectè dixit Zabarella *Logica rebus applicata sit res ipsa, & ab hac nequaquam re distinguitur*.

XV. Postremò & illud tenendum, *Logicam & Dialecticam*, nò  
A 3 planè



planè esse idem. *Dialectica* n. non ἀπὸ τοῦ λόγου, ut *Logica*, sed ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod est differere sive colloqui cum alio, nomen accepit.

XVI. Colloquia verò & collationes tantum instituuntur de ἐνδόξοις, in quibus est ἀμφισβητησις, daturq; probabilis ὡς τὸ δοθέντ in utramque partem disputatio: quæ tanè arti demonstrandi, ut parti disciplinæ ratiocinandi, minimè competit.

XVII. Quare *Dialectica* nihil aliud est, quàm facultas ex probabilibus atq; ex communibus differendi, opponiturq; *Apodictica*, quæ docet ex necessarijs & proprijs argumentari. *Vtraq; interim ad Logicam pertinet.*

XVIII. Ad summam: *Et Logica & Dialectica, Rhetoricæq;* maximam inter se cognationem habent: *Logica* tamen propriè totius artis nomen est: *Dialectica* partis tantum, & quidem *Topicæ*: *Rhetorica* est propages *Dialecticæ* verborum amplificationibus exornata.

XIX. Definitio est causalis sive αἰτιώδης: constans genere, subiecto, & causa cui subiecto insit.

XX. Genus est habitus, & quidem organicus. *Habitus* est. Nam r. non agimus hic de naturali illa vi & instinctu, de quo jam locuti sumus, quoque etiam indocti quique, quid, ex quo, & ad quod sequatur, intelligunt: sed artificialem illam *Logicam*, quæ rationis discursum ad veritatem dirigit universam. 2 neque eam in libris contentam esse asserimus: cum non præcepta artis, *Ars* sint; sed qualitas præceptis similis mente acquisita demum eam constituit. Confer thes. 12.

XXI. Deinde est habitus hic organicus: quia est de organo ad verum à falso discernendum aptis. *Instrumenta* verò quibus id efficitur, sunt *Syllogismus, Definitio, Divisio, Compositio, Resolutio, Problematis totius & singularum ejus partium examen.*

XXII. His nanque instrumentis sapientes scientias omnes consti-



constituere, impropria & falsa selegere, propria munivere ac corroboravere.

XXIII. Ut autem disciplinæ hujus organicam naturam rectè intelligas ac certò statuas: En instrumenti duas conditiones. 1. ut non causet *primario*, sed *secundario*: proindeq; sit *συναίτιον* potius & concaussa, quàm *αίτιον*. 2. ut non sit *propter se*, sed *propter aliud*.

XXIV. Utrunque in *Logicam* exactissimè & ad amulsim competit. Nam in veritatis inquisitione *veri eiusq;*, quoad cognitionem, effectiōnem *κρίσιον αἴτιον* est animus noster qui *primario* verum eo modo efficit: regulæ verò *Logicæ*, sive ipsa *Logica*, sive ejus instrumenta.

XXV. Atque hoc est, quod alias *Logicam* definiamus *habitu intellectus instrumentarium mentis nostræ Διανοίας informantem*, ut *Ipsa* (nempe mens sive animus) *verum à falso discernere possit*.

XXVI. Præterea instrumenta *Logica* non sunt *propter se*, sed *propter disciplinas scientiarum*. Nisi enim *Logica* ad aliud se subjectum reale applicaverit, nihilo erit vel melior vel utilior *malleo aut forcipe in manu fabri*, qui quod incutiat aut evellat, non habet.

XXVII. Unde sequentia *πορίσματα* fluunt. 1. *Logicam non esse propriè scientiam*. Huic enim res simpliciter necessariæ subijciuntur: *Logica* verò in formandis notionibus secundis, quæ opus nostrum sunt, occupata est. 2. *Non esse propriè artem*. Artes enim semper aliquid extra nos moliuntur, & materiæ alicui corporeæ novam formam visibilem induunt 2. *Physic. 2. 6. Nicom. 6. 4.* Quo loco *ars* definitur *ἐξ ἑκαστου ἀληθῆς λόγου ποιητικῆ*.

XXVIII. Interim non potest negari, quin *analogicè* artibus ejusmodi respondeat *Logica*, & propterea etiam *impropriè ars* dici possit. Ut enim statua ius formam, quàm mente concipit, induit *ligno, lapidi, aeri, ferro*, ex quâ formâ materies illa, quæ antea fuerat indigesta, statuæ nomen recipit, puta *vel Mercurij vel Caesaris, vel alius*: Sic *Logicus* formam intentionalem



nalem imprimat & producit in *conceptibus realibus*: atque ita quasi artificialia instrumenta, noemata nimirum secunda producit.

XXIX. Cum autem omnis ars & omne instrumentum ex fine æstimetur, operæ precium est finem *Logicæ* spectare: qui est *verum à falso discernere*. Propter scientiam enim & cognitionem veritatis omnis *Logica* operatio instituitur.

XXX. Unde intelligimus tam latè se extendere usum *Logicum*, quàm latè se sua operatione diffundit *ratio*: Hoc est, *Logicam* pro subiecto habere omnia *Entia*: non verò quatenus *alia*: est enim consideratio ista *ἡσιώδης* & essentialis: sed quatenus in illis animo conceptis efformat *notiones secundas*.

XXXI. Unde porro *Logices* usus colligitur magnus & varius. 1. universam *mentis ignorantiam* pellit, dum verum docet à falso discernere, & vada scopulosque *Sophistarum* vitare.

XXXII. Deinde prodest ad universam *Philosophiam*, singulasque ejus partes investigandas, docendas, discendasque.

XXX. 3. Utilis est *Theologo* ad, sacram scripturam accuratè cognoscendam, explicandam ejusque veritatem contra adversarios asserendam. Vult enim *Apostolus* *Episcopum* non tantum esse *διδασκτικόν*, sed etiam idoneum, ut possit *τῆς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, & ὁρθοποιεῖν*: quod præter *Logicam* disciplina alia nulla proficetur.

XXXIV. Utilis etiam est *iurisperito* ad leges interpretandas: *Medico* tandem ad causas morborum rectè investigandas.

XXXV. C



XXV. Cæterum dividitur *Logica* in partes duas, *Commune* & *Propriam*.

XXXVI. *Communis* est de Syllogismo in genere, eiusque principijs.

XXVII. Subdividitur in *tria* membra, triplici nostri animi operationi respondentia, ut sunt 1. νόσις τῶν ἀδιαίρετων. 2. σιώθεις καὶ διαίρεσις τῶν νοημάτων. 3. & ἴσα λογισμός.

XXVIII. *Prima* respondent *categoriae* sive *prædicamenta*: *secunde* doctrina de *interpretatione*: *tertia* doctrina de *Syllogismo*.

XXIX. Complexus item est Aristoteles priorem & communem hanc partem *libro Categoriarum*, de *interpretatione* & *prioribus Analyticis*.

XL. *Pars propria* Syllogismi in parte generali generaliter constituti usum adstringit ad certam materiam, quæ cum *triplex* sit, *tres* iterum partes hinc constituuntur.

XLI. Aut enim *matexia* est *simpliciter vera*, in qua occupatur *Demonstratio*, quæ est primus & proprius finis Syllogismi, doceturque *in posterioribus Analyticis*: aut est *probabiliter* & *contingenter vera*, circa quam versatur *argumentatio Dialectica*, quæ est finis Syllogismi secundarius, proponiturque *in octo Topicis*: aut est *omninò falsa*, habens tamen speciem veri, circa quam occupatur *sophisma*, de quo *in Elenchis Sophisticis*.

XLII. His ita constitutis reijcimus. I. definitionem, quæ *Logica* finitur *ars bene differendi*.

XLIII. II. Deinde reijcimus divisionem in *Inventionem* & *Judicium*.

XLIII. III. Reijcimus insuper divisionem in *partem Apodicticam*, *Topicam* & *Sophisticam*.

XLV. IV. Reijcimus & illorum opinionem, qui *Logicam* in *definitionem*, *divisionem* & *Argumentationem* dividunt.

XLVI. Et illorum reijcimus opinionem, qui *Logicam* in *docentem* & *utentem* tanquam partes dividunt.

COROL



COROLLARIA.

- I. *An motus pertineat ad Logicam? Resp. non, quia motus.*  
II. *An res, quia res, sit argumentum & arguat? N.*

F I N I S.





Προσφώνημα.

AD

Ornatissimum & Doctif-  
simum  
Dn. ELIAM HOFERUM  
Respondentem.

*Elia! hoc, Elia, conamen laudo, quod & tu  
Pro vero Logices Martia tela capis.  
Non es, dentati cur cures fulmina Momi:  
Sufficiat doctis te placuisse viris.  
Perge modò docto hoc Patriæ clarescere Marte,  
Sic te quisq; bonus perpete laude vebet.  
Est ita: gratulor ergò tibi applaudente Thaliâ,  
Comprecor & cæptis prospera quæque tuis.*

*ἐπ' εὐνοίᾳ πολλοῦ ἐχεδίασε* Wolfgangus  
Schlosserus, Sympatriota  
& Affinis.



1500

1500

1500

1500

1500

1500

1500

1500

1500

1500

1500

1500

1500

S

I

I

I

I

I

I

I





06 A 970

ULB Halle 3  
004 545 079



56


VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

2 (2.9)  
Cursus Philosophici  
DISPUTATIO II.  
*De*  
**CONSTITUTIONE LOGICES**

PROPOSITA  
In Alma VVitebergensi Aca-  
demia

PRÆSIDE  
Dn. IACOBO MARTINI  
Profess Log. & Phil. Pract. Publ.

*Respondente*  
ELIA HOFERO Adorphiâ-Varisco.

*Ad diem 6. Decembris.*



VVITEBERGÆ  
Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.

